



# Disputatio juridica inauguralis de jure civis et peregrini

<https://hdl.handle.net/1874/343304>

46.

DISPUTATIO JURIDICA  
INAUGURALIS,  
DE  
JURE CIVIS ET PEREGRINI.

*QVAM*  
PRÆSIDE DEO TER OPT. MAX.  
*Ex Auctoritate Magnifici D. Rectoris,*

JOANNIS GEORGII GRAEVII

Politices, Eloquentiae, & Historiarum Professo-  
ris Ordinarii,

NEC NON

*Amplissimi Senatus Academicī consensu, Nobilissimaque*  
*Facultatis JURIDICÆ Decretō,*

PRO GRADU DOCTORATUS

Summisq[ue] in UTROQUE JURE Honoribus & Privilegiis  
ritē ac legitimē consequendis,

*Venilandam proponit*

CORNELIUS ANTONIUS WACHENDORFF, Clivō-Clivensis.

*Ad diem . Januarii horā locōque solitis.*



TRAJECTI ad RHENUM,

---

Ex Officina FRANCISCI HALMA, Academiæ  
Typographi, cl̄ Ioc xci.

*Magnifico, Prænibili, Excellentissimoque Domino*

Dn. JOHANNI DE BEYER, Serenissimi ac Potentissimi Electoris Brandenburgici, &c. &c. in Ducatu Cliviæ & Comitatu Märcaño Consiliario intimo, Vice-Cancelario, magnorumq[ue] negotiorum Ministro.

NEC NON

*Nobilissimis, Amplissimis, Consultissimis, Gravissimisque VIRIS,*

Dn. WILHELMO RYFF, J. U. D. Sereniss. ac Potentiss. Electoris Brandenb. &c. &c. Consiliario, Civitatum & Praefecturarum Clivorum ac Griethausæ Judici.

Dn. JOHANNI THEODORO { J. U. Doctoribus. Illi  
SCHMITZ, { CivitatisClivorum jam  
Dn. ARNOLDO HERMANNO { aliquoties Consuli, pri-  
vonder PORTZEN, { mariarumq[ue] civita-  
tum Ducatus Cliviæ Syndico, Huic Equestris Ordinis  
itidem Syndico.

UT ET

*Nobilissimo, Doctissimo ac Spectabili VIRO,*

Dn. LUDOVICO WACHENDORFF, Perillustris,  
Nobiliaris liberæ ac secularis Abbatiae Bedburensis Quæ-  
stori.

*D. D. Patronis, Fautoribus, ac Parenti suo  
has primicias inaugurales*

*Submisse offert ac inscribit*

C. A. WACHENDORFF.

DISPUTATIO JURIDICA

INAUGURALIS

D E

# JURE CIVIS ET PEREGRINI.

CANDIDO LECTORI S.



*Vanquam temeritatis nonnulli meos  
de tantâ re, tot antisqûe viris dis-  
sentientibus, arguant conatus; ni-  
hil moror; hanc enim, utpote plu-  
rimorum, (non dicam omnium) quæ  
tractantur, jurium fundamentum po-  
tius, defendendam elegi, non ut omnia,  
quæ de eâdem dici ac observari de-  
beant, mibi propositurus videar, aut, quod nullus eam  
eō, quod oportuit fundamento, tradiderit, me omnia  
solidè dicturum mibi arroganter tribuam; sed, quia con-  
stituti atque moris est, specimen ut edant aliquod, qui-  
bus de jure respondendi facultas publica concedetur:  
Sciunt dissentientes, me id non acturum (cui faciendo par  
non sum) quod illorum suspectam facerem eruditionem;  
sed, eandem mibi concedendo, quam illi sibi sumseré in-  
judicando libertatem, nomina illorum vix apponam,  
dicam autem quod sentio, & dicam brevius quàm res  
tanta dici possit, idqûe duabus sectionibus complectar.*

## 4 DISPUTATIO JURIDICA

## SECTIO PRIMA.

## DE CIVE ET PEREGRINO.

§. 1. R erum universi creator Deus ter optimus Max. ut primum homines juxta sanctissimam suam perfectissimamque intentionem ac immutabilem voluntatem creavit, eam ipsam, quatenus rationis lumine aut revelatione declaravit, pro lege inviolabiliter dedit omnibus hominibus, nullaque per dispensationes ei quidquam detrahere concessit.

§. 2. Quae lex seu intentio Dei immota, ut perfectissima est, ita ad summum perfectissimumque bonum dicit ejus necessaria observationem.

§. 3. Ut autem hanc legem uti possent homines, media, quibus ad illum finem perveniant, consecuti sunt; praediti namque sunt facultate eam intelligendi ac execundi; tum natura quandam inter eos constituit cognitionem per l. 3. ff. de just. & jur. talem scilicet vivendi necessitudinem, quam totum genus humanum una aliqua fuerit civitas seu societas, humana dicta; quae ab ipsa natura constituta, ab eadem originem traxit, §. 13. Inst. de Rer. div. juxta edit. Genevensem: sic inquit Cicero; Eadem natura vi rationis hominem conciliat homini, & ad orationis & ad vita Societatem, ingenieraque imprimis principium quandam amorem in eos qui procreari sunt. Lib. I. de offic. quae verba tamen distincte sunt interpretanda.

§. 4. Ponamus nobis ante oculos primorum parentum nostrorum societatem jam in Paradiso, nec sine ullo ordine, constitutam; prius manifestum est (confer supr. §. 1.) ex sanctissimâ Dei circa eorum creationem intentione, cultum sui, ejus conservationem, maris atque feminæ conjunctionem volente; posterius ex Gen. II. 18. verb. auxilium ipsi commodum. Eadem etiam pura Societas lapsu deformata atque impura facta, non poterat, quae Deus dederat, jura maculare aut mutare, sed firma ea, quae in Paradiso jam fuerant stetere, atque immutabilia, prout ejus intentio est, manserunt; verum enim vero usus eorum atque exercitium longè difficiliora fecit.

§. 5.

§. 5. Quæ, ergo, summâ ope nitendum fuit, sarta atque tecta servare, ac quò mentes actionesquæ hominum intra istius justitiæ terminos contineantur; ut omnium, qui subinde nati erant, hominum mores juxta eam unicam normam atque regulam construantur: Hinc Cic. d. lib. dicit. *Nihil autem est amabilius, nec copulatius, quam morum similitudo bonorum, in quibus enim eadem studia sunt, eadem voluntates, in his sit, ut aquæ quisque altero delectetur ac seipso.*

§. 6. Sic ea, quæ antea necessitatis quidem erant, naturæ jura, sed quæ facilè secuti primi nostri parentes, post lapsum nihilominus necessitatis manserunt. d. auth. *Necessitatem, ait, propositam esse, ad res eas parandas, tuendasque, quibus actio vite continetur, ut & societas hominum, conjunctioque servetur:* Quamvis invitatos homines ad ea servanda arctius adduci, atque ad illa tuenda imperio aliquo opus fuit, ex necessitate medii; homo enim, quamvis sciat jura obligare, non oritur tamen illa necessitas parendi à se ipso, quam sibi proinde imponere nequit; illud innuunt verba Pomponii in L. 2. §. 13. ff. de Orig. Jur.

§. 7. Sed cui illud imperium delatum est, quod & summa potestas dicitur? Dicendum foret cuilibet; cui tamen assentiri nequeo, nisi quatenus se quis tuerit cum moderamque inculpatæ tutelæ, ne simul illa absurdæ, homicidia, latrocinia &c. concedam esse licita; aut subditum cum imperante confundam: Verum an non illi concessum voluit imperium, cui plures corporis vires concessit, ut Brennus Gallorum Dux apud Plutarchum ait, quod juri naturali nihil convenientius sit, quam fortiorum imperare infirmiori? Brevibus tamen respondeo negando. Quia (1.) Potestas, quæ in administrandâ justitiâ consistit, non in corporis, sed mentis facultae consistit. (2.) Illa concessio in experiendis viribus atque fortitudine suppeditaret remedium ad homines perdendos non conservandos. (3.) Quod si corporis vires inspicterentur, jam bruta, quæ vires humanas longè superant, imperium haberent & (4.) non humanum, sed ferarum esset regimen, quippe illa fera prævalet, quæ reliquis validior est; atque in illis id consistere potest, quia eæ victu contenti, in alios prærogativam non quærunt, contrâ in hominibus. Quinimò

## 6 DISPUTATIO JURIDICA

(5.) Robur non tribuit imperium, cùm illud sit temporaneum, atque tolli possit: Decidit hoc Plinius ad Trajan. in Paneg. verb.  
*Non, ut inter pecudes, inter homines natura jus valentiori tribuit.*

§. 8. Dicam ergo, quod sentio; Aut hæc potestas est uni homini, aut pluribus, aut omnibus concessa, quartus gradus non est: Non *uni*, quia *natura omnes homines aequales fecit*. l. 32. ff. de R. J. & quæ unicuique facultates dedit in suas actiones tantum, non aliorum, quod itidem à Jurisconsultis probatur arg. l. ult. ff. de colleg. & corp. quæ de uno, eadem de pluribus dicta sunt; unicum ergo supereft; summam potestatem seu imperium competere universo humano generi; atque hæc est societas humana, cui cura in homines à Deo commissa; nec moveor, quod forte ab initio hæc potestas non fuerit exercita; distinguendum enim velim inter id, quod juris naturalis sit, & quid ab initio sit exercitum.

§. 9. Quâ societate acercente, variæ familiæ varia etiam diffusa loca occupare cœperunt, utpote nullius; exinde autem factum est societatem humanam difficillimè potuisse in sua membra suam exercere potestatem, sed cœpit in plures dividi societates; non ineleganter hic iterum Cic. d. lib. Prima societas in ipso coniugio est, proxima in liberis; deinde una domus, communia omnia: id autem est principium urbis, & quasi seminarium Reipublice. Sequuntur fratribus conjunctiones, post consobrinorum, sobrinorumque: qui cùm una domo jam capi non possint, in alias domos, tanquam in colonias exeunt: sequuntur connubia & affinitates, ex quibus etiam plures propinqu: quæ propagatio & sohlo origo est Rerumpublicarum: Hæc homo ethnicus.

§. 10. Non parùm ad divisionem quoque fecit confusio linguarum Babylonica; verùm etiam tunc ea, quæ universæ data est, in societate divisa lex suum retinet momentum, quanquam illa facultas agendi, quod homines voluere, nec à Deo adhuc restricta, per has civitates sive earum administratores subinde limitata, atque jus aliquod proprium suæ civitati commodum, sit sanctum; Hoc appellare liceat *jus civile*. Quod neque in totum à naturali, vel Gentium jure recedit, nec per omnia ei servit, sed cùm aliquid addimus vel detrahimus, juri communi jus proprium seu civile efficiens. Ulp. in l. 6. ff. de just. & jur. Hinc cùm naturali jure omnium civitatum membra teneantur, civili jure tantum ejus civitatis membra obligantur;

ut

ut extra territoriorum jus dicenti impunè non parenatur. l. ult. ff. de iuri d. arg. l. 2. in fin. ff. ne quis eum qui in ius &c. Hoc jus intra territoriorum (potius adhuc in sua membra) jus manet; extra territoriorum (seu in extraneos) ejus loco sunt arma; potestas jubendi in sua civitate imperium, extra eam bellum dicitur.

§. 11. Illud imperium cum olim universo generi humano competit in singulos, non singulis jus in omnia; postmodum administrato hoc imperio in qualibet societate per unum, per optimates vel per omnes ante fixas adhuc sedes, occupataque territoria, imperium hoc tantum consistebat in personas seu membra istius societatis, adeoque, qui aliquando penes has morati sunt, non tenabantur ut cives seu subditi istius civitatis, sed ut peregrini omnino habiti sunt, nullaque ipsorum civiliter contrahebatur obligatio.

§. 12. Verum postquam societas territoria animo perpetuo occuparunt, fixeruntque sedes suas, jam leges territorii ligaverunt & ratione personarum, seu quatenus sunt membra, & ratione territorii, quatenus in territorio sunt cives, peregrinos vero non aliter, quam si in territorio reperiantur.

§. 13. Describo civitatem, quod sit, cœtus diversarum familiarum in unum collectus juris utendi gratia: Cives sunt ejus membra; specialius sunt membra parentia, ad differentiam ejus, qui summas tenet; de his autem ago qui parent occupatō territorio; atque illos arg. l. 17. ff. de stat. hom. omnes, qui in territorio fixas tenent sedes, reliquos peregrinos dicam; sive hi peregrinentur, sive aliō in territorio morentur, non habitandi aut perpetuā manendi causa, neque hic distinguam cum Romanis antiquis inter cives Romanos & municipes, inter originarios & assumptos, sed tales inquam, qui, prout ante occupationem territorium fuerunt membra civitatis, etiam nunc post occupationem ei perpetuā inhabitant.

§. 14. De his queri solet: Primo; an, si extra territorium proprium sint, desinant esse cives & siant peregrini, cum duarum protestatum subditi esse nequeant, imprimis si quandoque contraria jubeant, vel hostes sint, quod & Servator noster allegat Matth. vi. 24? sed Respondeo; quantum ad actus illos, qui competunt ex perpetuitate domicilii, cives nihilominus manent & subditi, quantum vero ad actus qui ex praesentiā in territorio nascuntur ejus consideratur subditus, cuius in territorio reperitur.

§. 15.

### 3 DISPUTATIO JURIDICA

§. 15. Secundò: An civis civitatem deserere possit? Cùm ante occupatum territorium, quocunque locorum fuerit, semper subditus fuit, neque juri illi renunciare, aut quod origine habuit, mutare potuit: Respondeo; sicut hæc ita, nec potuerit olim deserere suam ac in aliam se conferre societatem ex allegatis; Verum quia hodiè jus civitatis non tribuitur origini; sed domicilio, quod ex instituto est, & mutari potest; cùm cesset ratio originis allegata; unde si quis habitat in loco originis, non propter illam originem est civis illius civitatis, sed quia ibi fixas habet sedes, quæ si eō animo mutantur, mutatur & jus civitatis, definitiæ ejus esse civis: Dico ergo, quod quis civitatem suam deserere possit, quanquam illud regulariter non fiat nisi consulto magistratu ex mutuâ ad defendendum & parendum obligatione; sed suppono casum, ubi tantum versatur jus civis, & nihil Reipubl. intersit ejus discessus, ubi magistratus invitum detinere nequit, aut impedire, quod minus sibi alibi uberiorem victum querat:

§. 16. Hinc cùm, simpliciter considerato, hoc jus sit suum privatum, rectè ei renunciare potest, idem illud est, quod Cicero Orat. pro Balbo verb. *ne quis in civitate &c.* vocat fundamentum libertatis; atque dici solet, *jus migrationis* Germ. abzugh. In aliquibus locis hoc jus insuper restrictum est, ut non liceat migrare, nisi censu emigrationis datò, seu certam bonorum summam civitas capiat. Germ. Nachsteuren. Gail. 2. obs. 36. n. 10. Struv. Exerc. I. 54. & ibid. allegat. Grot. qui in notis suis ex Serviô notat consuetudinem antiquam fuisse, ut qui in Gentem transiret, priùs se abdicaret ab ea in quâ fuerat, de J. B. & P. lib. 2. c. 5. §. 24. n. 1. & 2. ubi plura hoc pertinentia resert.

§. 17. Quemadmodum igitur civis est ex domiciliô, ita, eō mutato, civis esse desinit, & sit peregrinus, quam primum animus ejus appareat, vel ex propriâ declaratione, aut talibus indicis, quæ declarationi sunt proxima per l. 7. Cod. de in col. &c. I. 13. ff. ad munic. Hodie testantur Gail. d. lib. obs. 35. n. 9. Struv. d. Exerc. th. 52. & ibid. allegat. Mævius, certum pluribus locis præstitutum esse tempus, intra quod, nî revertatur quis, desinere cum esse civem.

§. 18. Fiebant etiam cives aliquando per poenam non cives, seu Peregrini. Per l. 10. §. 6. ff. de in jus voc. Seu ἀπόλεσμα, id est, extores;

I N A U G U R A L I S .

torres; suntque peregrini omnes, (§ 13.) qui non sunt cives; Cæterum illud adhuc jus civile Romanorum origini tribuit civium, ut possint cogi ad obeunda munera; incolæ, qui etiam domicilium fixum tenent, sed ibi non oriundi cogi adea non possint. *vid. d.l.7.*  
*Cod. de incol. l. 1. 3. Cod. eod. l. 20. 29. ff. ad munic.*

§. 19. Hi peregrini seu non subditi, si in aliō quām propriō reperiantur, vel ad tempus morentur territoriō, sunt summæ istiuspotestati subjecti, cuiuscunque sint conditionis, imd & Princeps alterius territorii: quod quidem ante occupata territoria, utpote, cūm imperium tantum in certas competebat personas, juris non fuit; (§. 11.) sed, iis occupatis, ultra imperantium atque parentium ordinem non datur tertius. Verūm peregrinus non absolutē hōc casu fit subditus hujus imperii, sed (per §. 14.) quoad actus tantum, qui nascuntur ex præsentia. Sic exemplum est in Mariâ Stuartâ Reginâ Scotiæ, quæ ob crimina in Angliâ atque criminis læsa Majestatis, ne dicam perduellionis, convicta capite plexa est priori seculō anno 1587. cūm satis ii, qui à partibus ejus erant, exterorumque Principum legati objecerunt & userunt dignitatem Regiam supremam in Scotiâ potestatem, prævaluit tamen ratio paulo ante allegata: vid. Eman. van Meteren Nederlantsche Historici lib. 13. Quod ergo in Principe obtinet, multo magis in ejus legato, reliquisque subditis obtinebit.

§ 20. De clericis autem quid dicendum? an hi & præcipua eorum capita ecclesiastica imperio territorii subditi sunt? Resp. omnino quod sic ex supra dictis; cūm, religionem erga Deum, cæteraque jura naturalia tueri, sit summæ potestatis, quæ cui competit, satis superque demonstravimus; quatenus autem religio sit pura propounder, atque sub tutelâ istius potestatis sit immacula servanda, inter privatos, scil. jus hoc privatum, cūm sit quæstio Theologica, meritò eam remittimus illius Doctoribus discutiendam; interim videri potest Ursinus, Theologus insignis, ubi de clavibus regni cælorum agit: Clericos initio Christianis Imperatoribus subjectos fuisse tot constitutiones in Cod. testantur, quibus Imperatores de ipsorum doctrinâ & juribus disponunt, poenasque dictant: Novellæ quoque constitutiones plures circa eos occupatæ sunt; ut miranda sit nonnullorum audacia, dicentium; Imperatorem Justinianum leges

## 10 DISPUTATIO JURIDICA

circa sacra contra omne fas & jus divinum tulisse; sed observarunt id insuper cæteri Imperatores, si historiis fidem habere liceat, usque ad Ludovicum Bavarum, qui cervices suos Pontifici subjicit: Henricus VIII. Angliae Rex ita religioni Romanae addictus, ut, quod contra Lutherum scripsit, ab ipso Pontifice, præter aurcam rosam, donatus sit titulô DEFENSORIS FIDEI, tamen criminè læse Majestatis reos pronunciavit, qui ipsum in territotiō suo non agnoverunt summam potestatem circa sacra d. a. h. hist. Belg. lib. 1. Verum quidem est in Clericis Judæorum summam, statim à liberatione Babylonicæ servitutis, fuisse potestatem; sed hi non quæ clerici, sed quæ Duces populi eam habuere: Antiquis etiam Pontificibus Romanorum à Numâ Rege potestas circa sacra non fuit privativè, sed subordinatè, concessa: Ne autem acta agere, atque jam olim decisa & finita iterum disputanda proponere videar; progreder ad jura civium & peregrinorum principaliora, eaquæ brevius, quam dici possint, ne in immensum hæc disputatio crescat, tradam.

## SECTIO SECUNDA DE JURE CIVIS & PEREGRINI.

§. 1. Ex iis, quæ vidimus in personis civium & peregrinorum; non indistinctè videre licet jura esse duplia: Alia, quæ circa eos, qui ex perpetuitatis jure oriuntur; alia quæ circa eos actus, qui momentarii, & semper exerceri possunt, sunt occupata; Hæc omnes, illa tantum verè subditos obligant; Hæc dicam universalia, illa particularia: Particularia iterum sunt publica, seu quæ ad civitatis rei quæ ejus publicæ statum spectant l. 2. §. 2. ff. de just. & jur. & privata, seu quæ ad singulorum utilitatem pertinent d. l. Illa sunt *activa*, quibus universis & cuilibet facultas data est utendi utilitatibus & juribus Reipublicæ, ut sc. legitimè defendantur: *Passiva* quibus omnes vel quilibet ad conservationem & defensionem civitatis & imperii tenentur; quorum obligatio obedientiaz intra fines imperii tantum continetur, defensionis vero vinculum etiam extra terminos imperii obligat.

§. 2. Hinc

§. 2. Hinc quæstionis decisio facilis, an omnes, qui in territorio sunt, actibus juribus fruantur? Qui in eō perpetuū sunt, ex perpetuitatis jure omnino frui possunt ac debent; qui verò peregrini sunt, seu ad tempus in eō morentur, possunt aliquò, scilicet, quodd̄ simul defendantur jure frui; sed illud fit per accidens, neque ipsis iure hoc competit, quod defendantur, sed quia territorium defenditur, etiam ille, qui tunc in territorio est, licet peregrinus defendantur; aliud enim est *jus meum esse*, quod defendar, aut defendi debeam; aliud *accidens*, quod ego propter *jus & beneficium* aliorum nunc defendor.

§. 3. De transitu tamen videamus, an peregrinus *jus habeat eundi & redeundi* per terras aliorum; cum domino *jus competit*, non tantum agendi in suò, quod velit, sed etiam alios ab eō arcendi? Verum respondeo, omnino *jus peregrinis transeundi*, non quidem ex capite innoxiae utilitatis, ut magnus Grotius lib. de J. B. & P. II. cap. 2. §. 13. putat, sed naturā competere: cum ille transitus sit medium aliquid necessarium; natura enim inter homines societatem constituit §. 3. selt. I. cuius exercitium tollitur, sublatō transitu:

§. 4. Deinde, quæ, natura insuper ad ejus conservationem dedit commerciorum jura, tollerentur: nam natura terræ fructus proferre mandavit hominibus; omnis autem tellus omnia non fert, ab his ergo necessitatibus alibi quærendis neminem jura excludi patiuntur; tandem nihil obstat, dominum quoscunque à suò arcere posse, scilicet, in casibus non exceptis, & à natura reservatis. Addere licet, usum eundi esse aliquid suā naturā individui, ideoque, quia occupari non potuit, occupatum non est, sed, ut commune, cuilibet adhuc competit; quatenus verò hic transitus, aut noceat, aut nocere dubitetur, eatenus dominus territorii eum arcere, ac sibi caverre potest, quia, prout cuilibet jure suò uti licet, ita quoque cuilibet jure licet *jus suum defendere*, & quod potest legitimò modò conservare.

§. 5. An ergo transiturus, vel solus, vel cum copiis, militibus-que: (perinde enim puto) compellare debet Principem territorii? Dico eum non teneri, quia jure suò §. 3. & 4. utitur, & quidem naturā concessò, nullius, ergo, indiget veniā, nullius gratiā; No-

## 12 DISPUTATIO JURIDICA

xius non potest haberi transitus, si, qui transit, ejus hostis nobis propterea damna minetur; quæ tamen damna, si perniciem certam secum trahant, excusaretur transitus vel potius ex necessitate, quæ quandóque habetur pro actu impossibili, ea enim demum facere ac permittere possumus, quæ salvâ vitâ & Republicâ.

§. 6. Onus seu vectigal transeuntibus ex lege territorii communī vel propter onus patrocinii imponi posse, imò & angaria seu operas præstandas rectè injungi nullus dubito, ne tamen jus transitū impidiatur, quod, si impeditur, tenetur dominus territorii omne damnum resarcire, nec cum hujus jacturā locupletetur per l. 106. ff. de R. f. vel si nulla locupletatio sit, quod tamens ipsius injuriā huic transeunti damnum adortum sit, id est restituendum, à quō nequidem necessitas excusabit, Confer ea quæ Grotius dicit. lib. & cap. § 1. 3. 14. 15. tractat.

§. 7. Ad perpetuam autem habitationem exules, qui sedibus suis expulsi, jus non habent; licet imperio se subjicere velint, & si qua alia ad seditiones vitandas sunt necessaria. Diff. Grotius dicit. loc.

§. 16. Quemadmodum enim nemo cogitur in communione manere per l. ult. Cod. com. divid. ita quoque cogi non potest alium in communionem recipere, seu societatem, per l. 26. §. 4. verb. Nemo ff. de Cond. in deb. Ratio etiam hic cessat, quam pro transitum pe-tentibus adduximus, præsertim, si propter delictum expulsi sunt, atque civitas eos indignos judicavit suâ societate; quod sibi delin-quens imputet.

§. 8. Distinguendam autem est inter id, quod juris, humanitatis, & civitati utile est: utile quidem civitati esse potest, exules, aliosqüe adesse, quibus assignet agros quos incultos ad colendum, aut, quod melius & majori multitudine territoriorum, ejusqüe jus defendi possit: Humanum quoque & virtutis esse potest, homines, qui in propriō territoriō vix, vel planè non, sibi, unde vivant, acquirere audent, recipere; juris verò est manifesti, dominum territorii ter-rendi jus habere. l. 239. §. 8. ff. de V.S. & quidem ipsò naturæ jure dictante; adeoqüe, quod utile, quodqüe virtutis est, mibi meum non afferet, & alteri jus concedet: cæterum, nemo alteri prodeſſe cogitur, inquit l. 2. §. 5. in med. ff. de aq. pluv. arc.

§. 9. Inquiunt præterea nonnulli, inter quos allegatus Grotius, autem popu-

populum peregrinum jus habere in alienō territoriō ad emenda necessaria, id est, ut jure teneantur cives ad necessaria peregrinis, sed non contrā: rationem afferunt ex conservatione suæ vitæ, quæ periret, nisi uteretur necessariis; quia ergo voluit natura conservationem sui ipsius, & vitæ, voluit etiam media, sine quibus illa conservatio obtineri nequit: Si verò cives jure non tenerentur vendere, atque jure suo omnes uterentur, necessariò peregrini perirent, quod rationi atque juris naturalis intentioni, adeoquè sibi ipsi natura esset contraria, quod absurdum esset atque inauditum.

§. 10. Verumenimverò, ut libere dicam, quod sentio, nego hoc jus peregrinis competere (non enim hic, quid virtutis sit, examino) quia lex naturalis possessoribus pro iubitu de rebus suis disponendi facultatem dedit, ut quilibet rerum suarum sit moderator ac arbiter. l. 21. Cod. mandat. l. 25. §. 11. ff. de Haered. pet. Deinde, dic mihi, quid juris alter habet in re meâ, quô mihi eam extorquere possit? Nonné contraria sunt, pro iubitu de re suâ posse dispone-re, & alterum in eâ jus habere, scilicet, quô ego teneor eam alienare seu ipsi vendere. Contrarium id quoque juri nostro per l. 11. Cod. de contrah. emt. *Invitum compayare vel distractabre postulantis desiderium, justam causam non continet addatur l. 11. ff. de R. f.*

§. 11. Porrò, quis est, qui ignorat notissimum illud fundamentum, scil. emtionem venditionem *consensu* contrahi, non unius, sed *uniusque* utrūm, ergo, ego consentiam, nec ne, si tibi peregrino jus esset, tamen contractus erit, & quidem consensualis; quid absurdius! quid iniquius! Perinde etiam, ac si natura jus alicui dedisset in res alterius, verùm non aliter, quâm si æquale præstet: Concedo, omnino, naturam quidem voluisse conservationem sui ipsius, sed non injuriā: persuasum mihi insuper habeo, vix ullos fuissent homines (si unquam quisquam sibi durus ita, atque injustus fuit) qui non sibi talia occupârint loca, unde se conservare potuerint, saltem quærere debuerant, cùm natura hominibns satis locupletem dederit terram; uti perspectum est ex perfectissimâ DEI circa conservationem intentione.

§. 12. Atque, si fortè natura necessitatem adoriri faciat ex postfacto, proinde statim non concedit jus in res aliorum: Et quid non auderent peregrini illò jure freti, quippe, an necessè habeant, vel

ne judicium esset penes ipsos. Sed quanquam peregrinis hoc jus non concedatur, natura satis superque hanc in re providisse videtur, dum non semper inviti sunt homines ad res suas vendendas communi pretio, sugerendo virtutem, atque humanitatem, introducendoque indigentiam quandam territorialium reciprocum, & propterea commercia eorumque jus omnibus patens, quatenus dicto modo inter volentes fit, nec propter damnum Republicæ, aut in poenam quibusdam interdictum sit; cuius rei judicium Principi tribuo.

§. 13. Quod ita de rebus necessariis dico, idem obtinere puto circa nuptias petendas earumque commercia per l. 30. ff. de R. f. Cum tertius jus non habeat in res, multo minus habebit in personas nostras: Quomodo ergo excusabitur raptus Virginum Sabinarum à Romanis, & Siloitarum à Benjamitis factus: Certè, initium ejus fuit injustum quidem, sed ex post facto cum raptæ Sabinorum virgines consenserint, Siloitarum ab initio; atque à Siloitis injuria insuper facta sit Benjamitis, recte excusari poterit; de priori eleganter Ovid. 3. Fast. canit;

*Jam stererant acies ferro mortique parata*

*Jam lituus pugna signa daturus erat;*

*Cum raptae veniunt inter patresque virosque. &c.*

Et post

*Tela viris animique cadunt, gladiisque remotis,*

*Dant socii generis, accipiuntque manus.*

§. 14. Hoc jus sequuntur Pontificii, quos moribus hac in re sequimur, dum in cap. ultim. X. de raptu, nuptias inter raptorem & raptam permittit ex consensu subsequenti, inquiens; *conformius esse iuri nature & gentium*; Aliud tamen non sine causa jure Civili constitutum est. l. un. §. 1. in fin. Cod. de raptu Virg. *Quoniam nullò modo nullaque tempore*, inquit Imperator, *datur à serenitate nostra licentia eis conseniire*, qui hostili more in nostra Republica matrimonia sibi conjugere student: auffertur hinc jus in poenam, quod licet.

§. 15. Alias utrumque & de rebus, & de personis commerciorum jus (conf. que supra in jure transitus ex conservatione generis humani adduximus.) Adeò competit peregrinis, ut summa potestas id interdicere non possit; jus enim ipsis, quod natura competit auferret: *Civibus itidem & jus de rebus & personis liberè disponendi criperet.*

S. 10.

§. 16. Dico, ergo, quod, licet in Principem contulerint cives summam potestatem, & ea, sine quibus haec exerceri nequit; quod verò ad dominia, vitam, religionem, & quæ ad ea requiruntur privatim exercenda attinet, civibus tantum jus competere, quod tueri Principis est, simulque, ut illo jure uti frui civibus liceat, scilicet, ad quod conditi homines societasque constitutæ sunt; quam tutelam si egrediatur Princeps delinquendo in vitam, religionem, & bona; omnino afferendum puto Principem potestate suâ cadere, civibusque rursum devolutum seu renatum esse imperium, adeò, ut jus habeant cives imperium illud in alium iterum conferendi, atque Principis, qui ita privatus factus, delicta puniendi.

§. 17. Sed boni Principis est ea omnia defendere, quia verò una haec & singularis persona omnia & intus & foris ritè regere ac tueri sola nequit, tenentur cives ut ei assistant bonis & operis, prout necessitas requirit, quæ supra §. I. nomine jurium passiorum veniunt, & cum Juris-Consulto Romanô voco *munera*, personalia & patrimonalia: quantum ad administrationem Reipublicæ, cives tenentur ea præstare; quæ tamen munera plurimùm dignitate & honoribus ornata ac distincta sunt.

§. 18. Exinde queris olet, an peregrini possint esse in munib[us], adeoque dignitate præferri civibus? an verò civibus solis jus sit illa petendi ex regulâ; secundum naturam est, commoda cujusque rei eum sequi, quem sequuntur incommoda l. 10. ff. de R. J.? Atque illud verum est, quia ad hoc ita dictum incommodum, scilicet defensionis, seu ministerium cives tenentur; sed ideo fruuntur cives commodijs juribus suis, quibus frui omnes intendere debent, Nec sequitur inde, Principem, qui summas tenet, obligatum esse præcisè eligere è civibus, quibus conserat dignitates; cum enim tota potestas in eô, atque administratio residueat; quod suâ personâ facere nequit, facere potest per alium; atque perinde erit, si modò administretur Respublica, cum tota haec quæstio in jure administrationis consistat; Peregrinus rectè itaque munus cum dignitate præ civibus ex concessione summæ potestatis habere potest: Haec ita de jure, nisi aliud in civitate constitutum obtineat, ut in Patriâ meâ, quod vocatur *jus indigenatus*.

§. 19. Jure suo uti si impediatur per injuriam concivis, id cognoscere

cere atque restituere Principis est, aut ejus, cui Princeps ea dijudicanda demandavit : Pariter adibit civis suum Principem, si læsus in alieno territorio, ubi peregrinus fuit, per quem restitutionem ab altera parte petet, quæ si negetur, Princeps repressalia concedere, aut, si res sit tanti momenti, bellum indicere, vel quovis meliori modo civium suorum jura descendere, damnaque avertere, ac restituiri curare solet, sed hodie non facilè peregrinis administratio justitiae etiam contra cives negatur, vel ex usitatis bonisque moribus & reciprocō studiō, vel pactō inter civitates conventō.

§. 20. De eo autem quæri potest, si civi gravis injuria aut damnum à Principe vel ejus iussu à justitiariis immineat, an civi tale sit jus à natura concessum, quod se contra eos defendat, immo cum illorum cæde? Si notoria sit illa injuria, nec reparatio aliquando sperari possit, jam se defendet contra tales injustos invasores, ne tali modo omnes cives diripiatur in justitia; adeoque non tantum ut privatus & aggressor, sed ut hostis totius Reipublicæ arceri potest; si autem in justitia sit dubia, jam, cum ejus rei judicium sit penes Principem, defensio talis non licita est, & quod hac in parte agit Princeps, justè agere videtur; In levibus autem & reparabilibus causis melius erit, licet notoria sit in justitia, si reverentiae ac sanctitati personæ seu territorio cedatur, donec in justitia principem paeniteat, aut justior alius succedat; si vero reparationem omnino neget Princeps, eam concivium auxiliō, quibus periculum par imminet, aut exterorum ope recuperabit læsus.

### A N N E X A.

- (1) Possidens immobilia nuda promissione non committitur. (2) Non est antinomia inter l. 39. ff. de pact. & l. 34. pr. ff. de contr. emt. sine correctione junct. l. 66. ff. de jud. l. 96. ff. de R. f. l. 29. ff. Loc. Cond. l. 99. de V. O. (3) inter l. 15. ff. de reb. Cred. & l. 34. ff mandati. (4) Plura habens chirographa unum reddens videtur debitum remisisse. (5) L. 5. ff. de Extraord. cognit. non negat triplicem capituli diminutionem. (6) Querela locum non facit successorio editio. (7) Ususfructuarius servitutem vindicare potest contra dominum. (8) Caustio de uis ex boni viri arbitratu remitti nequit, quamvis ad constitutionem ususfructus non pertinet. (9) Servitus pro parte retineri, non vero remitti aut acquiri potest. (10) Pignus rei aliena, si debitor dominus sit, convalescit. (11) Beneficium l. 24 Cod. de Evict. obtinet, et si pactum sit de evictione non praestanda. (12) Iure Canonico superveniens mala fides facit cessare Publicianam. (13) Competit etiam Publiciana quando quis rem à furioso, ignorans eum furere, emit. (14) Pecunia dotali emptum sit dotale.